



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 91. Cronwelli odium in Catholicam Religionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

gionis, sine speciali sanctæ Sedis Apo- Sæc. XVII.  
 stolicæ dispensatione, dummodo non A. C. 1655.  
 tempore probationis durante dimissi  
 fuerint, sed post Professionem.

Ejusdem quoque Congregationis  
 Patres die nona Junii declararunt, quod  
 Episcopus in Parochialibus Monacho-  
 rum exemptorum Sacramentum Con-  
 firmationis administrare, invitis etiam  
 Regularibus valeat: Ejusdem quoque  
 Mensis die decima nona a Sacra Rituum  
 Congregatione decisum legimus, quod  
 Sodalitati SS. Sacramenti competat  
 præcedentia supra alias Confraternita-  
 tes in omnibus supplicationibus, in qui-  
 bus defertur SS. Sacramentum: occur-  
 rente etiam dubio circa quemdam in  
 excommunicatione mortuum, Sacramen-  
 tatis Congregatio die decima tertia  
 Septembris respondit, excommunica-  
 tum mortuum in forma judicii posse ab-  
 solvi, si pœnitentiæ signa dederit: ab-  
 solutio autem pro delicto non valde  
 gravi privatim detur.

## §. XCI.

*Cronwelli odium in Catholicam Re-  
 ligionem.*

Nondum Carolus II. Angliæ Rex om- *Rapin Thoir.*  
 nem recuperandi sceptri spem ab- *Hist. d' Angl.*  
 jecerat; non pauci enim Regiæ digni- *lib. 22.*

T 3

tatis

Sæc. XVII tatis vindices variis in locis secreta  
 A.C. 1655. inter se consultationes habebant, quæ  
 ratione Cronwellus Anglici diadematis usurpator deprimi, & legitimus Rex in Britanniam reduci posset: Hi quoque ineunte Mense Februario Carolus Regem, qui tum Colonix unacum Henrico Fratre suo Glocestrix Duce etiam agebat, datis literis hortabantur, ut concubina nocte ex urbe discederet, & tatisque equis ad Angliæ fines properaret. quantocius a suis summo honore in Regno recipiendus, si motus in suum favorem concitati ad vota processissent. Verum Cronwellus solita sua veritate ac vigilantia cunctos conjuratorum conatus detexerat, omnium, quæ in Caroli Aula gerebantur, haud ignarus Manningus enim Regis Consiliarius clandestinum cum Thurlovio, quem Cronwellus ab epistolis habuit, forebat commercium, cunctaque Regionum consilia eidem manifestavit, qui tam detecto dolo Colonix in Neoburgæ Ducis arce glande trajectus promeritis perfidiæ poenas dedit. Igitur Carolus Rex nec in suis, nec in Gallis recuperandi solii spem ultra habebat, e contrario autem Cronwellus majore indies auctoritate, Principum favore valebat, quapropter omni sollicitudine & metu solutus, necnon de

alieno, potentique auxilio certus, die Sæc. XVII.  
 duodecimo Februarii omnes Senatores A. C. 1655.  
 adesse iussit, habitaque oratione eisdem  
 varia objecit crimina, tandem in hæc  
 verba perumpens: „Amplissimæ digni-  
 „tatis meæ ministerio & jure fretus,  
 „Senatu vos omnes moveo, Parlamento  
 „vos exire jubeo; neque enim video  
 „vos in hoc magistratu esse tolerabiles,  
 „de cætero mihi, & concilii mei Se-  
 „natoribus curæ erit, ne quid pertur-  
 „bationis & motuum conjuratio detecta  
 „conciliet. „

His dictis Parlamentum dissolvit,  
 ejusque loco duodecim Viros, quos sibi  
 addictissimos noverat, seligens, cum  
 eis administrandæ Reipublicæ curam  
 partiebatur: Horum suasu, proprioque  
 impulsu motus, die quarta Maji statuit,  
 ut sequens fidei professio ab omnibus  
 Anglis emitteretur, solemnijuramento  
 firmanda: *Ego N. juramento, & sincera  
 fide profiteor, nihil authoritatis, nihil juris  
 in Ecclesiam Catholicam, nec generatim  
 nec speciatim Romano Pontifici competere,  
 aut esse. Deinde, sancte affirmo, atque  
 indubitate pronuntio: Consecratam Hostiam,  
 quicumque hominum, aut Sacrificulorum  
 eam tandem consecraverit, nihil amplius  
 post consecrationem, quam ante consecran-  
 dum obtinere, id est, manere perpetuo ut  
 prius, ita posterius panis substantiam, nec  
 aliud*

Sec. XVII. aliud quicquam esse. Tertio: *Inclutit*  
A. C. 1655 credo atque profiteor, neminem profu-  
 existare mortalium, qui bonis operibus at-  
 que Salutis præmia mereatur, ad hæc enim  
 adipiscenda sufficit, animo recolere, ac nobis  
 amantissimum nostrum Dominum Christum suis  
 cruciatibus ac morte de omnibus peccatis  
 nostris Deo Parenti satisfacisse. Quarto:  
 Jurejurando affirmo: Nullius in Cælo San-  
 ctorum pro nobis postulationes aut præ-  
 cium ulli hominum Saluti, aut subsidio esse posse.  
 Neque illorum imagines aut statuas in ho-  
 more & cultu aliquo habendas; quas si ho-  
 noraremus, idololatræ efficeremur; nec  
 enim id venerationis genus juvare nos qui-  
 quam potest. Quinto: Juro & in hoc  
 sententiam: Purgatorium ignem, qui pec-  
 cata delet, nusquam existere. Nec alio  
 quoquam locorum immigrare solutum cor-  
 pore Spiritum, quam alterutro de his die-  
 bus, inferno & cælo.

Hæc in Romanæ Ecclesiæ ac Re-  
 ligionis odium, necnon Synodi Triden-  
 tinæ contemptum decreta mox ubique  
 fuere in Regno promulgata, & a Pe-  
 ritanis Prædicantibus in usum deducta  
 his quoque additum, ut qui hanc firmam  
 mulam juramento firmare detrectave-  
 rint, tanquam de conjuratione suspecti  
 in carceres tradantur: insuper Provin-  
 ciarum Rectoribus datum est negotium,  
 ut nulla mora in eos inquirerent, & animi

animadverterent, qui vel Reipublicæ Sæc. XVII.  
 novæ normam cavillari, vel Regiæ A. C. 1655.  
 parti favere crederentur: cum igitur  
 Saresburizæ quinque nobilissimi Viri,  
 adversus Cronwelli usurpationem de-  
 clamasse infimularentur, mox exquisi-  
 tis tormentis misere cruciabantur, nec  
 tamen a sua sententia amoti, jumen-  
 torum caudis alligati per compita &  
 vicos aliquamdiu raptabantur, tandem  
 vero e collo in patibulo suspensi, raptim-  
 que funibus resectis semianimes demissi,  
 a quatuor in diversa agitatibus equis  
 crudelem in modum discerpti fuerunt:  
 alii etiam octo, eoquod Caroli Regis  
 honorem tueri crederentur, suspendio  
 vitam finire.

## §. XCII.

*Concordiæ pacta inter Sabaudicæ Du-  
 cem, & Pedemontanos Cal-  
 vinistas.*

Cum Calvinistæ Vallium Pedemonta-  
 narum incolæ ad tredecim ferme  
 suorum millia excrevissent, publicum  
 que Religionis suæ exercitium contra  
 Sabaudici Regni leges petulantius de-  
 poscerent, Sabaudi Ducis Vidua haud  
 immerito tumultum sub Religionis ob-  
 tentu conflandum verita, necnon Hu-  
 gonotarum in Galliis exemplo territa

*Hotting. hist.  
 Helvet. l. 7.  
 Tuld. l. c.  
 La Hode vie  
 de Louis  
 XIV. l. 18.*